ꝑ creationē sicut rex qui de diuersis me
tallis facit monetam. sed solū in moneta
auri ponit ymaginē suam. In alijs autē
monetis solum ponit sibi signum Ita de
us a principio mundi fecit multas crea
turas quasi monetas diuersorū metallo
rū Sed solum monete auree scz in hoīe
īpressit ymaginē suā loquēdo de creatu
ris corpalibus. Moneta argenti clara
est sol luna ⁊ stelle sed illa solum habēt
signum trinitatis ⁊ nō ymaginem. Mo
neta de luto sunt elemēta sed nō habent
vestigiū. solus homo est ad ymaginē dei
loquēdo de creaturis corpalibꝰ. qꝛ sicut
aurum inter omnia metalla est nobilissi
ma Ita homo īter omnes creaturas cor
porales est excellētior ⁊ sicut ille q̄ facit
monetam imprimit ymaginem regis in
floreno. Sic deus quando creat ani
mam in ea ymaginem suam imprimit ꝫ
ostendit deus a principio quādo creauit
omnia dicens. Fiat lux ⁊ nihil amplius
dixit. Fiant luminaria. Sed quando vo
luit formare hominem non dixit fiat ho
mo. Sed quasi teneret consistorium pa
ter ⁊ filius ⁊ spirtussanctus dixit deus
Faciamus hominem ad ymaginem ⁊ si
militudinem nostram vt presit piscibus
maris ⁊ volatilbus celi ⁊ bestijs vniuer
seq̄ terre omniq̄ reptili Genesis p̄mo.
Patet quomodo istud signum datur a
deo in anima per creationem de isto sig
no dicebat dauid. Signatum est super
nos lumen vultus tui domine dedisti le
ticiā in corde meo p̄s. quarto. Nota lu
men vultus tui dn̄e. i. ymago trinitatis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Super nos id est in anima que est supra corpus. Moraliter hic instruimur. Si quilibet nrm habet ymaginem dei in anima. qz digne ⁊ reuerenter est seruanda ymago xpi proditor ⁊ infidelis iudicaret qui ymaginem xpi vel virginis marie scireret ense vel cõbureret igne vel proiceret in latrina. Omnes vos diceret. O traditor ribalde ⁊c. Magis proprie ē ymago dei anima racionalis qz alia ymago Et aliqui scindunt eam ⁊ iracundi ⁊ vindicatiui occidendo hominem. Si dicatur. Q ipe interficit patrem meũ. Responsio. si ipe est proditor. Ideo tu vis esse proditor. Ideo vindicta est deo dimittenda. quia ipse faciet hic vel in alio mundo Ideo dixit deus. Quicũqz effuderit humanũ sanguinẽ effundetur sanguis illius. Et signatur ratio ad ymaginem quippe dei factus est homo Geñ. ix Nota fundetur sanguis illius hoc intelligitur vel a iudice per iusticiam. vel ab ipo met p penitenciam. qui eñ occidit vel cõsensit in mortem proximi homicida est si preter vel ꝓtra ordinem iuris ⁊c. ꝓpria penitencia effundetur de sanguine suo cũ disciplinis alij aũt nõ scindunt ymaginẽ dei sed proiciunt eam in ignẽ vt auari qz auaricia nõ est nisi ignis qui incenditur in corde auari ad cõgregandum. vel p vsuras vel rapinas ⁊c. ꝓpter hoc dixit xpũs. videte ⁊ cauete ab omni auaricia Quia nõ in abundancia cuiusqz vita eius est ex hijs que possidet luc. xij. Nota ab omni vniuersaliter. Alij proiciunt ymagines in latrinam vt luxuriosi quid est luxuria. nisi stercus putridũ. Qualitercunqz fiat luxuria est damnatõ. sed actus matrimonialis potest fieri absqz omni peccato ymmo etiam cũ marito ⁊ etiã cum peccato mortali ⁊ qñqz etiã cum peccato veniali Dicatur ꝓtra illos qui dicunt fornicationem simplicem nõ esse peccatum ⁊ contra notorias meretrices. Ideo dicit scriptura. Fili in mansuetudine serua aiam tuam ⁊ da illi honorem ꝓm meritum suum quia ymago dei digna est honore pecãtem in animam suam quis iustificabit et quis honorificabit exhonorantem animam suam. Ecclesiastici decimo. Dico secundo ⁊c. In corpore materiali ⁊ ꝑ per redemptionem. Signum q xpũs recepit in die redemptionis que fuit in die veneris sancta. est crux. Sicut rex arogonie recepit pro signo diuisiones Rex frãcie florem lilij. Rex castelle leonem ⁊ castrum. Ita xpũs rex celi ⁊ terre. recepit signum crucis exquo fuit ibi suspensus p nostra redemptione. Ne aliquis sibi credens ⁊ obediens suspendatur in furca inferni. de hoc prophecia hec dicit dominus deus. Ecce leuabo ad gentes manũ meam ⁊ exaltabo ad populos signum meũ scilicet sancte crucis ysaie cõdragesimo nono. In hoc ergo signo carnali visibili ⁊ audibili dedit deus signum trinitatis. quia quãdo signat se. dicit. In nomine patris et filij ⁊ spiritussancti amen. In nomine Ecce vnitas essencie. non dicit in nominibus. Dicunt doctores q si quando sacerdos baptisat diceret. Ego te baptiso in nominibus ⁊c. non baptisaret vide de hoc sanctum Tho. tercia parte questione sexagesima sexta articulo sexto in solucõe ad sextum Et in quarto distinc. tercia articulo scdo questiõe ꝑma nonum. Ideo dixit xpũs apostolis ⁊ discipulis eũ res docete omnes gentes baptisantes eos In nomine patris ⁊ filij ⁊ spiritussancti Non dicit in nominibus. Math. vltio. Cum dicitur patris ⁊ filij ⁊ spũssancti. Clare dicit trinitatem psonarũ. Itẽ qñ tum ad visum ⁊ audium in mõ signandi Ostendit hic modũ signãdi qñ dicit. in nomine ꝑ patris teneatur manus alte. Ratio Quia pater numqz fuit ab alio

missus. Sed ipso existente in cathedra eternitatis sue. misit filium suum vnigenitum in vtero virginali sicut sol mittit radium suum ⁊ tamen nō recedit ab eo Ideo quando dicitur ⁊ filij debet teneri manus circa vterū. qñ dicit ⁊ spūssancti debet ducere manū ꝑ trāsuersum de musculo ad musculum qꝛ spūsscūs fuit sparsus sup aplos ⁊ discipulos xp̄i in die pēthecostes qñ aūt dicit amen. Jūgātur manus signātes vnitatem essencie. Aliqui multuꝫ errant in medio signandi qñ dicūt. In noīe patris longe fatiūt dicentes ꝙ pater est maior. hoc est heresis. qꝛ in hac trinitate nihil prius aut posterius nihil maius aut minus ꝫ tote tres persone coeterne sūt ⁊ coeq̄les vt dicit Atanasius Alij ponūt filiū ad dexterā qꝛ dicit articulus Sedet ad dexteram dei patris Sꝫ hoc nihil est. qꝛ ⁊ filius ⁊ spūsscūs sunt ad dextris dei. qꝛ esse ad dextris dei. nihil aliud est q̄ꝫ esse equalem deo patri. Alij ponūt spm̄scm̄ a dextris dicendo ꝙ ad sinistram est dyabolus q̄ tunc ꝑcutit Et hoc nusq̄ꝫ inuenitur ī libro alicui⁹ auctoritatis. Ideo bon⁹ modus signandi est ille de q̄ vobis ⁊c̄. de hoc signo dicit ecclesia. Signū salutis salus in ꝑiculis. vita le signū vitam ferens omnium ⁊c̄.

Moralit̄ hic ptꝫ ꝙ errant illi qui nō sig̃nt se signo xp̄i. sed dyaboli vt sūt multi layci ⁊ clerici. Qualis iniuria fieret regi si quis de palacio amoueret signa sua. et poneret signa inimici sui. talem īiuriā faciūt xp̄o qui nō bene sig̃nt se Signum em̄ xp̄i est crux. Signū dyaboli est circulus vl' rota auc̄tas. In cicuitu impij ambulant dixit dauid. palatiū xp̄i est corpus xp̄iani in q̄ fuit positum signū crucis xp̄i regi in baptismo. Sed qñ vos signatis faciendo circulū tūc amouetis signū xp̄i a palacio suo ⁊ ponitis signuꝫ dyaboli. Dicatis qñ surgitis de lecto qualiter signatis vos. pater sic. ⁊ faciūt circulum Idem quādo volunt prādere ymmo dolentes referimus Sacerdotes in benedictionibus salis aque ⁊ panis faciunt signum dyaboli ⁊c̄. Immo ꝙ peius est ī sacrificio ⁊ etiā quādo post missam dāt benedictionem populo que est magne virtutis ex xp̄i presencia aliqui cū signo dyaboli dant benedictionē dicendo. In vnitate sancti spiritus benedicat vos pater et filius ⁊ spirtussanct⁹ amē. faciēdo circulum. Cogita quātum displiceret regi amotio signi sui. plus displicet xp̄o ꝓpter hoc dicebat dauid in p̄s. Ut quid deus repulisti in finem iratus est furor tuus super oues pascue Nota vt q̄d r̄pulisti ⁊c̄ Respondit sancta trinitas. signa nostra non vidimus iam nō est propheta id est sacerdos prophetisando vere faciēdo signum xp̄i. Ideo corrigatur hoc viciū malum. Dixi tercio ꝙ deus dedit signuꝫ trinitatis in vita spūali. ꝙ fuit datum ꝑ saluacionem. Vita enim spūalis sancta et bona nō est nisi vna a principio vsq̄ꝫ in finem. tamē habet tres partes vt scilicet homo sit bene ordinatus. Primo erga deum. Secūdo erga proximuꝫ. Tercio erga seipsum Et sicut est vnus deus in trinitate personarum. Ita est vna vita spiritualis cum tribus ordinacionibus. Ecce signum trinitatis. De isto signo dicit bernhardus. data sunt signa ⁊ iudicia quedā ⁊ iudicia manifesta salutis vt indubitabile sit eum esse de numero electorum in quo illa signa permanserunt. Scitis quādo eritis bene ordinati erga deum quando portabitis honorem ⁊ reuerentiam deo. tunc em̄ vasalli sunt bene ordinati erga suum dominū quando cum reuerencia loquūtur de eo. sic nos erga deum nō iurando nō renegando ipsū vel blasphemando. Ideo non meremini si habetis malum tempus ⁊c̄. Sed ego

minor qz nõ intratis ĩ abissum ꝓpt blas-
phemias q̃s factis de ꝑ ꝓquerit deus pr̃
dicẽs. Filius honorat pr̃em. ⁊ seruꝰ do-
minũ suũ timebit. Si g̃ pr̃ ego sum vbi
est honor meus dicit dñs Malachie. j.
Fiat g̃ ordinatio ꝓtra iurãtes oẽs de be
tenis clamare ꝗ iurãtes sicut pr̃ lupũ ⁊c.

Secũdo bona ordinatõ erga ꝓximũ
est nõ scz nocere ꝓximo nec ĩ bonis ipm
damnificando. nec in fama nec in ꝑsona
sed hõe erga eũ amorem beniuolẽtie Jõ
esset necessariũ vitare ludũ taxillorꝫ qui
ꝓximum valde damnificat taz in bonis
q̃z in corpore q̃z etiã in aĩa Ideo istos in
dicabit filius qz sibi fit iniuria q̃ venit ad
saluãdas animas. pater omne iudiciũ de-
dit filio vt omnes honorificent filiũ Jo.
quito Tertio bona ordinatõ erga se-
ipm ĩ ꝑ ꝓsistit vt postq̃z laborastis feria
scõa ⁊ tercia ⁊c. q̃escatis ĩ die dñica ni-
hil tꝑale faciendo nõ debetis ambulare
per campũ nisi ꝓpter magnã necessitatẽ.
nõ negociaciões debetis facere nec ꝓtra-
ctus aliquos ⁊c Nota aliq̃ miraculũ ⁊c
Fiat g̃ ordinatio vt festa seruẽtur ⁊ ha-
bũdabitis Ista ordinatio corrũpet spũ
sancto qui requit requiem in aĩa in q̃ ha-
bitat Ideo dicit scriptura Amodo iã di
cit spũs vt requiescant a laboribus suis
Apoc. xiij. Deo gracias.

De eodem sermo tercius

Fratres perfecti

estote. verbũ istud habet. ij. ad Co-
rinth. ca. xiij ⁊ vltimo. recitatiue in
epla pũtiũ octauaꝫ ꝑ thema dat modo
moriũ dedarãdi in quo ꝓsistit perfectio
vite spũalis. Materia erit vtilis ⁊ pro-
ficua Sed vt deo sit acceptabilis ⁊ gro-
sa salutet virgo maria. Si stricte volu-
mus cogitare in opibus hui⁹ mundi que
deus fecit per creatõẽ inuenimus q̃ tri
plici gradu ꝓsistunt ⁊ homo est in ꝑfecti
ori gradu ꝓm q̃ ego vobis declarabo.

Primus gradus est de creaturis que
sũt sube spũales sicut angeli qz omnes
sunt spũs. dauid. Qui facit angelos su-
os spũs Nõ habet carnes neq̃z ossa. spi
ritus carnẽ et ossa nõ habet luc. vltimo.
De hoc vide scm̃ tho. j. pte. q. l. ar. ꝓmo.

Secũdus gradus est de creaturis q̃s
deus fecit a principio scz de creaturis pu-
re corporalibus. que nõ habet spm̃ sicut
sunt celi sol luna ⁊ stelle. que nõ habent
animã rõem nec intellectũ. Sed sũt vt
lapides sine spũ Itẽ elementa terra aq̃
ignis ⁊c. Item elemẽtata vt volucres
metalla ⁊ aĩalia. Dauid. Nõ em̃ est spi-
ritus in ore ipꝰ ꝓrũ quia licet emittãt an-
helitum nõ tũ habet substãtias spũales

Tercius gradus est de creaturis simꝳ
corporalibus ⁊ spũalibus vt sunt homines.
Vltimo em̃ creauit deus hominẽ ⁊ qua
si epylogando cõposuit eum de materia
corporali quãtũ ad corpus ⁊ spũali sub-
stantia. q̃tum ad animam ꝓpter ergo q̃
inter omnia opa dei singularem perfectio
nem habet homo sup omnes creaturas.
Ideo dixit moyses Igit̃ perfecti sunt ce-
li ⁊ terra ⁊ omis ornatus eorũ. Gen. ij.

Moralit̃ celi sũt potẽtie intellectiue
ipi⁹ aĩe vt memoria ĩtellectus ⁊ volun-
tas. terra est caro. ornatus anime sũt bo
ne cogitacõues de cor de affectões desi-
deria cõtemplacões ⁊ hmõi. Ornatꝰ aũt
carnis sunt mẽbra corporis ⁊ quiq̃z sensꝰ
corporales. Satis g̃ pz q̃ si volumꝰ loq̃
de perfectõne naturali homo sup omnes
creaturas habet pr̃fectõem naturalem
vnde ⁊ homo dicit ꝓm beatũ grego. omis
creatura Ideo rõnabile est vt homo etl
habeat perfectionem moralem scz de vi-
ta spirituali. propter hoc dicit thema fra-
tres ꝑfecti estote scz in vita spũali Mo-
do videndum est in quo ꝓsistit vite spũa-
lis perfectio. Et inueni q̃ in q̃tuor scz.
In dilectõe generali sine exceptione.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In locucōe rōnali sine offensione.
In diligencia virtuali cū rcā intencōne.
In pacientia tpali cū vera exultatione.

p̄m Dico p̄mo ⁊c̄. scz dilectio vniuersalis sine exceptōne est siue ī hoc ꝯsistit qd̄ est diligere oēs homīes vniuersalr̄. tam viuos q̄ꝫ etiā mortuos scz illos de paradiso de eis laudādo deū. de purgatorio. pro eis orādo vt inde exeant. ꝓ xp̄ianis vt in fide ⁊ in bona vita cōseruent̄. ꝓ inimicis etiā orādo vt ad bonū finem perducant̄. nō solum debet quis diligere domū suam sed etiaz omnes alios ita ꝙ totus mūdus recipiatur in corde suo ꝑ dilectionem vniuersalē. Talis est in p̄mo gradu ꝑfectōnis vite spūalis. quia neminē excludit a dilectōne. Sicut faciūt aliqui. vnus dicit ego diligo amicos meos sed nō inimicos. Alius dicit ego diligo parētes meos sed nō curo de alijs. Aliꝰ dicit. ego diligo illos de loco meo. sz nō alios. nihil valet. Rō est oportz ꝙ dilectio sit vniuersalis Quilibet diligit ymaginez xp̄i vel virginis marie cuiusuis materie sit siue auri siue argenti. ⁊c̄. Diligit̄ eñ ⁊ honoratur ymago nō rōne materie sed racōe illius cuius est ymago. Cū ergo hō sit ymago dei magis ꝓpria q̄ꝫ ymago facta a pictore ad imaginē quippe dei factꝰ est homo Gen̄. ix. Ideo talis ymago diligenda est in q̄cūq̄ꝫ materia siue ī auro siue in argēto. ymago dei antea est in hoīe scē ⁊ bone vite diligenda ē Itez ymago est de argento qñ hō hz intellectū clarū in scīa. ⁊ os in eloquēcia. ⁊ cor ī credencia. Itez de ferro qñ est ipaciens. tñ est diligenda. De ligno putrido est ymago qñ est pctōr. De lapide duro qñ nō hz deuocōem. De carbone nigro qñ ꝑsona est male fame. tñ est diligenda qz ymago dei est. desiderādo ⁊ orando pro sua ꝯuersiōe. Si g̃ ymagines sūt amabiles rōne illoꝝ quos repñtant q̄ꝫto magl̄ homo. De h̄ auc̄tas xp̄i q̄ predicādo populo dixit audistis qz dictū est antiquis diliges ꝓximū tuum ⁊ odio habebis inimicū tuū ⁊c̄. vsq̄ꝫ ꝑfectus est Mat. v.

Nota ꝙ loquit̄ de dilectōne generali et generalibꝫ signis eius. Si eñ diligit̄ benefactores nec gratis nec grās habebitis qz etiā iumenta diligunt bñfactores Canis eñ diligit bñfactorē suū ⁊ odit malefactorem. qz tñ solum diligit amicos ⁊ benefactores nullū meritū habet apud deum. Oportz g̃ generalit̄ diligere omnes amicos ⁊ inimicos ꝓpter deum. In h̄ est meritū. Si ergo est aliq̄s nr̄m qui ī corde suo habz odiū rancorem seu malā voluntatē deponat Jō aplus videte ne qnis malū pro malo alicui reddat. sed sp̄ ꝙ bonum est sectamini inuicez et in omnes. p̄ma ad thesal. v. Dico secūdo ⁊c̄. locutio rōnalis sine offensione. 2m

Prima ꝑfectio vite spūalis ꝯsistit ī corde ista autē scd̄a in ore Talis eñ dz esse locutio ꝙ nō offendat deum nec ꝓximū Offendit autē deus qñ homo loquitur mendaciuz. qz ip̄e est veritas. Ego sum via ⁊ veritas. ⁊ vita. Johis. de cīo q̄rto Peius est mendacium in ore q̄ꝫ stercus Ratio quia aufert officium lingue que data est homini ad exprimendum mentl̄ conceptum Ideo ⁊c̄. Secundo iurādo inuanum offenditur deus Inuanum iurare est quādo sine necessitate vel vtilitate homo iurat. dicendo per deum ista cappa est nigra ⁊ huiusmodi Tercio iurando false. sicut multi miseri qui faciendo cōplacentiam ⁊ ad complacendum amico vel vicino in iudicio falsum iuramentum faciunt. Quarto iurando enormiter cum lingua quasi cum ense diuidunt dominū suum q̄ꝫtum in eis est videtur nobis modica iniuria. Quinto renegando terribiliter. Quia iam hodie non sufficit iurare. sed dicunt maledicar ego a prauis hominibus iniqnis ⁊ peruersis ⁊ similia terribilia ꝓferendo ⁊c̄.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sexto q̄ est peius blasphemādo horribilit̄. qñ sūt irati ex ludo vl' alit̄ cū gladio ꝑcutiūt crucem manu versus celum dicēdo verba ꝯtra xp̄m ⁊ virginem mariā ⁊c̄. Ex istis pctis veniūt mala īfinita Ideo rectores debēt sup̄ h̄ ꝓuidere ⁊ statuere sub certis penis ꝯ tales ⁊c̄. Secundo offendit̄ ꝓxim⁹ qñ diffamat̄ vel pctm̄ suū secretum publicatur vel seip̄m laudādo Jō dico q̄ locutio debz esse rōnalis ne deus nec ꝓxim⁹ offendat̄. Jō dicunt phi q̄ ista dr̄a rōnale est ꝑfectio eeñalis hoīs ⁊ formalis dr̄a q̄ dat ei perfectōem Quid ē hō aīl rōnale qz mortale nō est de essencia s̄ additū fuit ab infidelibꝫ. Angeli aūt nō sūt rōnales qz subito ⁊ sine discursu ītelligūt. hoīes vero sūt solū rōnabiles de h̄ vide scm̄ tho. ꝑma ꝑte q. xviij. arti. iij. ⁊. iiij. Ideo debz loqui rōnabilit̄. Jō aplus Frēs in multl offēdimus oēs. Si quis aūt in verbo nō offendit hic ꝑfectus est vir. Jaco. iij. Nota hic de iuuene loquace ⁊ verboso q̄ venit ad quēdā sanctū hoīem q̄rens ab eo cōsilium q̄liter gubernaret linguā suam. Qui dixit sibi. facias q̄ os tuum loq̄tur vt bursa auari ad soluendū. Et ille pat̄ non intelligo istud. Et scūs rn̄dit. bursa auari habet tres nodos. ⁊ qñ aliquis petit ab eo debitū non statim soluit sed disputat dicēs ⁊ quare ego sum vobis obligatus ⁊ sil'ia. ita debz fieri añq̄z loquat̄. Jdo līgua habet tres clausuras q̄si tres muros. Secus de alijs sensibꝫ q̄ oēs sūt apti oculi aures nares ⁊ manus. Sz līgua vt leena hz tres custodias scz dētes et labia Ideo qñ vis loqui vt auar⁹ disputa. ꝑmo infra te dicēdo q̄re volo loq̄ erit necessariū vtile vel edificatoriū. Si nō sed truffatoriū vel īiuriosū nō loquar ergo. Qui isto mō scit gubernare līguaz suā ꝑfectus est. Jdo aplus Oīs sermo malus ex ore vestro nō procedat s̄ si q̄s bonus est ad edificationē. vt det graciaz audiētibꝫ ad ephe. iiij. Dico tertō ⁊c̄ scz diligentia virtualis cū recta intencōe scz q̄ quilibet cū diligentia faciat q̄ tenetur facere s̄m statū ⁊ officiū suum. Verbigrā religiosus qui est diligens in seruādo ordinem ⁊ regulam ⁊ tria vota essēcialia ⁊ cerimonias in victu ⁊ vestitu et silencio. talis est ꝑfect⁹ Qui aūt dimittit p̄dicta longe est a ꝑfectione Idez de diligencia sacerdotum in horis dicendis tam de die q̄z de nocte. Item habere diligentiam in īstrumētis ecclesie vt sint bona ⁊ mūda ⁊c̄. Item de laicis. diligētia em̄ vestra in hoc ꝯsistit vt detis operā facere orationem deuotam quēadmoduz supplicatur pape vel regi ⁊c̄. In qualibet ebdomada seruare dm̄icam audiēdo missam ꝯpletam cū silencio ⁊c̄. Et quolibz anno cōfiteri in principio q̄dragesime ⁊ ī pascha coīcare ⁊ diligenter penitentiam datam a cōfessore seruare. Ista faciunt xp̄ianum ꝑfectū ꝓpter hoc dicit deus xp̄iano cuilibet. Ego dn̄s deus omnipotēs ambula corā me ⁊ esto ꝑfect⁹ gen̄. xvij Nota ambula. non dicit sta vel sede Sz ambula q̄ notat diligentiam Ambulare est de virtute in virtutem incedere coram me. Aliqui em̄ ambulant nō coram deo. sed corā gentibus vt ypocrite ⁊ vane gloriosi vt laudentur ⁊ videant̄. Sz ille ambulat coram deo. qui quicq̄d facit facit recta intencione pro deo non curando de gentibus sed de deo. Ideo dicebat lucas euāgelista. Seruiamus dn̄o ī sanctitate ⁊ iusticia coram ipso omnib⁹ diebus nr̄is luce ꝑmo. Dico quarto scz pacientia tꝑalis cum exultatione scz ad sufferendum mala ⁊ īiurias qz alias modicum esset facere bona opera nisi in aduersis homo habeat paciētiam Ratio est Qui em̄ vult intrare bellum nō solū armatur armis inuasiuis sed etiā defensiuis. Si em̄ portat lanceam in dextera nō erit ꝑfecte armatus nisi portet scutum in

sinistra. Ita de nobis Qui in hoc mundo sumus in campo p̄lij. Ideo oportet perfecte armari de armis inuasiuis Diligencia in spūalibꝫ est q̄si lancea/ ⁊ defensiuis pacientia. paciētia enī est quasi scutū qđ opponitur sagittis tribulacionū iniuriaꝝ tēptacionū ne tangat cor. Sꝫ multi sine isto scuto intrant istud p̄liū Sunt enī diligentes in operibꝫ spūalibꝫ. ꝫ sunt impaciētes in tribulacōnibꝫ ⁊ iniurijs hō sunt firmi. qꝛ statim ad modicā iniuriā turbātur Ideo oportet armari perfecte Diligencia enī in bonis ⁊ paciētia in malis faciūt hominē perfecte armatū. Cū gaudio sumende sunt aduersitates ⁊ tribulacōnes. quia meritorie sunt. Plus meruit Job ꝑ pacientiā in aduersis q̄ꝫ per diligenciā in bonis. Ideo dt apostolꝰ iacobus. Omne gaudiū existimate fratres mei cum intēptaciones varias inciderit. scientes q̄ ꝓbacio fidei vestre pacientiā operat̄. pacientia autē opus perfectū habet. vt sit perfecti ⁊ integri in nullo deficientes Jacobi p̄mo. Nota cū gaudio sunt accipiende tribulacōnes tum ꝓpter necessitatem. tū ꝓpter vtilitatē. pacientia vobis necessaria est vt voluntatē dei facientes cōportetis repromissionē. Ad hebreos.x.

De sancta trinitate. Sermo quartꝰ

NEmo ascendit in celū nisi qui descendit de celo Habetur verbū istud originalit̄. Johis iij. ⁊ officiat̄ in euuangelio p̄sentiū octauarū. In p̄senti sermone ꝫm motiuū qđ dat michi thema volo declarare q̄modo nos peccatores poterimꝰ in celū ascendere quia ad hoc sumꝰ finaliter creati. credo q̄ erit materia vtilis ⁊ ꝓficua. Sed vt sit deo acceptabilis ⁊ graciosa. Salutet̄ virgo maria ⁊c̄. Thema est verbū xp̄i. quod verbum nisi intelligat̄ recte. portaret seu duceret peccatorē in desperacionē cū dt. Nemo ascendit in celū nisi q̄ ⁊c̄. Quia nullus descendit de celo nisi ipsemet xp̄s ꝫm q̄ ipsemet declarat. cū sequit̄ filiꝰ hominis q̄ est in celo Ipse enī descendit de celo in incarnacōne. ⁊ ascendit ad celū in ascensione postq̄ꝫ ꝯpleuit opus nostre redēpcionis. Et dicit. Nemo. i. nullus homo ascendit. Ergo miseri quid faciemꝰ nos. Ideo dictū verbū sic intelligit̄. Nemo ascendit in celū scꝫ v̄tute ꝓpria nisi q̄ descendit de celo scꝫ xp̄s. quia hoc solum sibi cōpetit. quia sicut falco vel aquila ascēdit virtute alaꝝ. nec indiget auxilio Sic xp̄us cū duabꝫ alis scꝫ potencia diuinali ala dextra. ⁊ gloria humanali quasi ala sinistra ascendit in celū. nec indiguit auxilio alterius. de hoc ꝓphetia dauid A summo celo egressio eius ⁊ occursus eius. id ē regressio vsqꝫ ad summū eiꝰ. psalmo.xviij. Ideo apostolꝰ Qui descendit ipse est ⁊ qui ascendit sup̄ omnes celos vt impleret omnia scꝫ ꝓphetizata. Ad ephes̄.iiij. Ecce qualit̄ intelligit̄. Nemo ascendit ī celū ⁊c̄. Ergo nos q̄liter poterimꝰ ascencendere quia nec habemꝰ potenciā diuinalem nec gloriā humanalē. Ideo nō possumus ascendere v̄tute ꝓpria. ꝫ oportet ascendere v̄tute xp̄i. qui dat nobis virtutem fidei spei ⁊ caritatis. ⁊ v̄tutes morales. vt possimꝰ ascendere. Nota similitudinē de nebula q̄ de mane iacet in terra. ꝫ post virtute solis ascendit sursum. Ita de nobis q̄ sumus terrestres concepti nati ⁊ nutriti in terra. Dauid. Celum. i. gloriam celi dn̄o terram autē dedit filijs hominū. Ideo oportet nos ascendere virtute solis illius scꝫ de quo dr̄ virgini marie. Felix nāqꝫ es sacra virgo maria ⁊ oī laude dignissima quia ex te ortus est sol iusticie xp̄s deus noster. Quādo hō moritur in gracia v̄tute istiꝰ solis. hō ascendit quasi homo trahat̄ ab eo. Juxta illđ ego si exaltatꝰ fuero a terra. omnia trahā

ad meipsum. Iohis.xij. Et sic intelligit̄
thema. Nemo ascendit in celū ꝛc̄. scz vir
tute ꝓpria. Nota nouē gradus hui⁹ ascē
sus quēadmodū sunt in celo nouē ordi
nes angeloꝝ seu gradus Ido apteti vos
vt ascendatis
Prim⁹ est peccatoꝝ cognicio
Scd̄s cordis contricio
Tercius emēdandi ꝓpositū.
Quartus sac̄mentalis cōfessio
Quint⁹ penitencialis satisfactio
Sextus debitoꝝ restitucio
Septim⁹ fame reformacio
Octauus iniuriaꝝ remissio
Nonus eukaristie cōmunio
De istis dicebat Ysaias. venite ascenda
m⁹ ad montē dn̄i ꝛ ad domū dei Jacob
Ysa.ij. Dico p̄° ꝙ p̄m⁹ grad⁹ ascen
sus ē peccatoꝝ cognicio. s. habere sentimē
tū ꝛ consciam de pctis. qn̄ conscia pungit
ꝛ remordet d. O miser ego sū religios⁹
ꝛ nō vixi vt religiosus nō seruaui regulā
ꝛc̄. Idē de clericis ꝛ laycis. Talis iā te
net pedē in p̄mo gradu talis cognicio ē ne
cessaria qꝛ nullus curat de medicina q̄ nō
sentit se infirmū Ido dicebat Jheremias
vide vias tuas in cōualle ꝛ scito q̄d fece
ris Jhere.ij. Sed multi deficiunt in isto
gradu q̄ stati senciunt defect⁹ corporis ꝫ
nō senciunt mala ꝛ defect⁹ aīe. verbi grā.
sunt multi q̄ stati senciunt ventū intrātē
per fenestrā ꝫ nō senciunt ventos sup̄bie
vane glorie ꝛ p̄sumpcōis flantes ī corde.
magn⁹ defectus ē iste. Alij senciūt stati
puluerē ꝛ claudunt sibi os ꝛ nares Sed
non senciunt in anima pulueres auaricie
vsure furti rapine ꝛc̄. Alij senciunt sta
tim modicū calorem forte ꝓuenientē ex
nimio potu ꝫ nō senciunt ignē luxurie qui
totū comburit. Alij senciunt stati paruā
spinā in digito ꝫ non senciūt gladiū dya
boli qui totā animā transfodit. quando
recurrunt ad diuinos ꝓ sanitate ꝓ se vel
ꝓ filijs vel ad inueniendū rem perditam

Alij si comedunt legumina statim senci
unt aliquid infra dentes. ꝛ non senciunt
saxū inferni quē tenent in ore quādo iu
rant. Alius sentit statim si habet stoma
chum repletū cum nō poterit dormire. ꝫ
quando tenetis stomachū anime plenū
veneno odij ꝛ rancoꝝ non sentitis. Alij
si dormiunt in lecto. statim senciunt puli
cem. Sed nō sentitis lupos vel leones in
ferni. q̄ tenent vos ne vadatis ad missā
vel extrahāt vos de ecclesia. ꝛ sic de alijs.
Ideo pauci sunt qui ascendunt in p̄mo
gradu. Non sunt isti sicut dauid q̄ statim
habuit cognicionē de peccato suo. Ideo
dixit deo. Amplius q̄ꝫ merear laua me
ab iniquitate mea. ꝛ a peccato meo mun
da me. Et assignauit rōnē dicens Quo
niam iniquitatē meā ego cognosco ꝛ pec
catum meū contra me est semp̄ quasi di
ceret. Jam sū in p̄mo gradu. Ido q̄libet
vestrū auiset se qualiter viuit. in quo statu
est. ꝛ corrigat se Secund⁹ gradus
est cordis cōtricio. postq̄ꝫ homo cognos
cit peccata debet conteri ꝛ dolere de eis.
quia alias cognoscere peccata ꝛ delectari
in ipsis malū esset ꝛ peccatū. Necessaria
est ergo cōtricio Ideo dixit ezechias rex
vt habet̄ Ysaie.xxxviij. Recogitabo tibi
omnes annos meos in amaritudine ani
me mee. Domine si sic viuit̄ ꝛ in talibus
vita spūs mei Corripies me ꝛ viuificab̄
me. Nota cum dicit̄ tibi. non dixit mihi
seu mundo ꝛc̄. Sed tibi quia nullus do
lor seu tristicia de peccatis valet aliquid
nisi sit respectu dei etiam si ꝓ vno pecca
to homo ꝓiceret tot lachrimas quot sūt
gutte aque in mari. nihil valeret nisi sit re
spectu dei. verbi gracia. Si religiosus co
gitans ꝙ presidens su⁹ si sciret mala sua
incarcerabit eum ꝛ illo timore plorat vel
quia erit diffamatus ꝛc̄. nichil valet qꝛ
hoc nichil aliud est nisi recogitabo michi
ꝛ nō tibi. Sed tūc esset ꝯtricio si diceret
O miser et q̄t pctā feci et q̄ꝫtuz offendi

creatorē meum q̄ de nemore mundi me elegit ⁊ plantauit in religione vt seruirē sibi. ⁊ ego miser feci oppositū. tunc esset ꝯtricio. Idē de sacerdote quādo cogitat O miser ep̄us sciet ꝙ ego sum concubinarius ⁊c̄. ⁊ perdā beneficiū ⁊ plorat nihil valet. attricio posset esse q̄ non sufficit ad saluacionē. Sed posset esse contricio si respectu dei doleret dicendo. O miser deus fecit mihi graciam quā angelis nō fecit ⁊c̄. Idē de laycis si aliquis esset sentenciat⁹ ad furcā ⁊ plorat ꝓpter periculum ⁊ diffamacionem ⁊c̄. nihil valet. Idē de muliere cuiusuis sit status q̄ peccauit ⁊ plorat timore viri vel diffamacionis ⁊c̄. nihil valet. oportet ꝙ sit respectu dei. Ido dr̄ ꝓpheta in ꝑsona xp̄i Recordabunt̄ mei quia contriui cor eoꝝ fornicans ⁊ recedens a me ⁊ displicebūt sibimet sup̄ malis q̄ fecerant in vniuersis abhominacionib⁹ suis. Ezech. vi.

Tercius grad⁹ est emendandi ꝓpositū ⁊ sequit̄ ad duos gradus p̄dictos. q̄d eniz valeret cognicio peccatoꝝ et cōtricio nisi homo habeat ꝓpositū emendandi ⁊ corrigendi vitā suā nihil valet. Ideo necessario requirit̄ ꝓpositū firmū emendandi dicendo. Ego cōsueui esse superb⁹ pomposus. Sed factū est de cetero volo viuere humilit̄ ⁊ sic de alijs. hoc est emendandi ꝓpositū quia modicū esset dolere de peccatis p̄teritis nisi homo ꝓponat cauere a futuris. de hoc dauid. Beat⁹ vir cui⁹ est auxiliū abs te. i. a te ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrimaꝝ in loco quē posuit. p̄s. lxxxiij. Nota in valle lachrimaꝝ. vallis inter duos montes consistit. Ita vita p̄sens dr̄ vallis lachrimarum. cōsistens inter duos montes quoꝝ vn⁹ est paradisus terrestris altus. intantum ꝙ aque diluuij q̄ ascenderūt. xv. cubitis sup̄ omnes mōtes illuc nō ascenderunt de quo dr̄ beda. Or folia arborum tangunt speram siue celum lune. Alius mons ad quē debem⁹ ascendere est paradisus celestis. ⁊ hic debem⁹ nos disponere per bonā vitā ⁊ bona op̄a vt illuc ascēdamus. Ideo dr̄ ascensiones ī corde suo disposuit in loco quē posuit. locus religiosi est monasteriuz clerici ecclesia. ⁊ sic de q̄libet statu laycoꝝ In quolibet istoꝝ locoꝝ quilibet debet disponere ascensiones per recessū a malis ⁊ accessum ad bonuz Ideo xp̄s. vade ⁊ iā amplius noli peccare. Johannis. viij. Quasi dicat exq̄ iam ascendisti p̄mo ⁊ scd̄o g̃du. Jō vade ascēde āplius. ⁊ iā noli peccare. Ecce h̄ ꝓpositū emendandi. Quartus est sacramentalis confessio ⁊ sequit̄ ad p̄dicta Quid enī valeret mundare camerā si stercus remaneret in angulo: Ideo oportet vt per fenestrā stercus ꝓiciat̄. Ita illius q̄ habet cognicionē peccatoꝝ ⁊ contricionem cū ꝓposito nō redeundi. camera conscientie erit munda si stercus peccatoꝝ ꝑ fenestrā oris ꝓiciat̄. dicendo confessori. pater ego fui superb⁹ ⁊c̄. ⁊ sic de alijs peccatis. Ex hoc dicebat beat⁹ iohānes. Si cōfiteamur peccata nostra fidelis ⁊ iust⁹ est deus vt remittat nobis peccata ⁊ emūdet nos ab omni iniquitate. p̄ma iohānis p̄mo. ꝓpter hoc statutū est. ꝙ quolibet anno in q̄dragesima hō confiteatur peccata sua. mutando conscientiā vt sit habitacio dei. alias enī esset habitacio demonioꝝ. Ideo dr̄ scp̄tura. q̄ abscondit scelera sua non diriget̄ supple vt ascendat in celum. Qui autē cōfessus fuerit ⁊ reliquerit ea misericordiā cōsequet̄. ꝓuerbioꝝ. xxviij.

Quintus gradus est penitencialis satisfactio. differētia est inter satisfactionem ⁊ restitucionē. Satisfactio fit deo ꝓ peccatis. Restitucio fit ꝓximo. de ista dicam in sexto gradu. Sicut enī ex peccatis que fecimus offendim⁹ deum Ita per penitenciam debem⁹ facere deo satisfactionem. verbi grā si offendisti deū per sup̄biam debetis sibi satisfacere per humilem

oracionem. Si per auariciā satisfacere debetis per elemosinas ꝛc̄. Si per luxuriaꝫ satisfacere debetis ꝑ carnis afflictionē ne a demonibꝫ puniri vos oporteat in inferno. ꝛ sic de alijs. Racio huiꝰ satisfactionis est. quia post reconsiliacionē amicabilem requiritꝰ solucio debiti. Ido Luce. iij Facite ergo fructꝰ dignos pñie. vbi dicit glosa ꝙ fructꝰ est ꝛc̄. qñ medicina correspondet plage siue morbo Sed modo in pluribꝫ oēs confessores dant vnā medicinā cuilibet morbo scꝫ missas vt ipsi habeant ꝛc̄. Sextus est debitoꝝ restitucio que fit ꝓximo. q̄libet respiciat domum taxiā vel bursam. si est ibi aliq̄d de malis bonis ꝛ iniustis. de vsura. furto. rapina. vel retinendo mercedē laboꝝ decimam. p̄micias restituatis. dicunt aliqui pater ego dimittā in testamento vt restituatur ꝛc̄. Et interim vos ibitis in inferno. si mori vos cōtingat sine penitencia. statim enī dꝫ restitui alienū ꝛc̄. de q̄ vide sanctū thomā scd̄a scd̄e. q. de restitucione Et siue fiat restitucio per heredē siue non non liberabit vos Et pater oporteret me vendere ꝛc̄. Si vellē restituere ꝛc̄. Solucio. Quare nō ꝛ vendere debetis ꝛ diminuere statum. quia regula est iuridica Oꝛ non dimittitꝰ peccatū nisi ablatū restituatur. Ideo restituatis In isto gradu multi frangūt sibi collū Ido dicit apl's Reddite omnibꝫ debita nemini quicq̄ debeatis nisi vt inuicē diligatis. Ad roma. xiij. Septimus est fame reformatio. Si diffamastis vel iudicastis vel ꝯdemnastis aliquē. oportet ꝙ restituatꝰ sibi famā corā illis eciā dato ꝙ dixeritꝰ veꝝ si reuelastis pctm̄ ocultū et vt intelligatis hoc peccatū dicā vobis similitudinem de nobili dña optime ornata quam latrones despoliauerūt vsq̄ ad camiseā. deinde venit alius ꝛ exspoliauit sibi camiseam. credo ꝙ magꝰ reputauit se iniuriatam ab isto scd̄o q̄ ab alijs. Ita persona que tenet bonā vitā portat camiseā albā ꝑ bonā famā ꝛ vestes de auro ꝛ serico cū margaritis q̄ sunt bona opa. Sed qñdo peccat mortalitꝰ depdatur a latronibꝫ inferni ꝫ adhuc remanet sibi camisea alba. scꝫ bona fama. ꝫ qñ tu reuelas suū peccatum qd̄ erat secretū tunc denudas sibi camiseam maius pctm̄ facis q̄ si bona exteriora sibi furatꝰ fuisses qꝛ melius est nomen bonū q̄ diuicie multe super auꝝ et argentū est bona grā. i. bona fama. ꝓuerbioꝝ. xxij. Si ergo q̄ furatꝰ pecunias vel alia bona tenetꝰ ad restitucionem si vult saluari. q̄tomagis necessario restituēda est fama. Ido augustinꝰ Non pigeat ex ipso ore ferre medicamenta. vnde facta sunt vulnera Octauus gradus est iniuriaꝝ remissio. Si ordine iusticie vultis iusticiā hoc potestis licite. Sed in corde vestro nō teneatꝰ desideriū vindicte. ꝫ exemplo xp̄i q̄ in cruce pepercit omnibus ꝑcatis inimicis. dicendo dñe vt parcatis mihi ꝛ remittatꝰ mihi iniurias q̄s feci vobis. ego remitto īiurias inimicis. Unde dicit xp̄s. Pater meꝰ celestis tradet vos tortoribꝫ si nō remiseritꝰ vnusquisq̄ fratri suo de cordibꝫ vestris. Mathei. xviij.

Nonus ē eukaristie cōmunio. hic completꝰ pñia. In isto gradu iungimur deo. omnia enī p̄dicta sunt p̄paracōnes ad ascensū celestē. Sed ꝑfecta medicina ꝛ vtꝰ animā secū trahens ad celū ē eukaristia. Nota exemplū de cōmunione hugonis de sancto vibtore. Ido xp̄s. Ego sum panis viuus q̄ de celo descendi. Si quis māducauerit ex hoc pane viuet ineternū. Iohis. vi. Dicatꝰ contra illos qui non ꝯmunicant ꝛc̄. de quibꝫ Iohis p̄mo In ꝓpria venit ꝛ sui eū nō receperunt

In festo corporis xp̄i. Sermo p̄mus

Ego accepi a domino qd̄ ꝛ tradidi vob̄. Uerbū